



illist. Sax. inf.

58,10^{cf}=

ORATIO SOLEMNIS

SERENISSIMO PRINCIPIS ELECTORIS



Rep. LIX. T. no. 10.

15. 3. 13.

IOHANNES THEODORUS RUDOLPHUS CELLARIO

4647.

ORATIO SOLLEMNIS

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

ANTONIO VLTRICO

DVCI BRVNOVICENSI AC LVNAEBVRGENSI

ET

CAESARAE CELSITVDINIS PRINCIPI AC DOMINAE

DOMINAE

ANNAE

POTENTISSIMAE RVSSORVM IMPERATRICIS

ADOPTIONE FILIAE

NATAE DVCI MECLENBVRGI

PRINCIPI VENEDORVM SVERINI RAZEVRGI

COMITI SVERINENSI TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE

DOMINAE ET REL.

QVVM

NVPTIAS AVSPICATISSIMAS

CELEBRASSENT

PETROPOLI DIE $\frac{1}{4}$ IVLII A. MDCCXXXVIII.

INTER PVBLICA GAVDIA ET CONGRATVLATIONES

IN ACADEMIA IVLIA

DIE $\frac{XXV}{V}$ IVLII ANNI EIVSDEM
AVGVSTI

SVBMISSISSIME DICTA

AB

IOANNE THEODORO RVDOLPHO CELLARIO

HELMAESTADIENSI.

HELMAESTADI TYPIS IOH. DRIMBORN.



ORATIO SOLLEMNIS
IN DIEBUS QUORUM
SANTISSIMO DOMINO
DUCI BRUNOVICENSIS
HONORABILISSIMO
CAESAREAE MAJESTATIS
DOMINAE
A. N. A. E.
POTENTISSIMAE RVSORVM IMPERATRICIS
ADPOTIONE FILIAE
NATAE BVCT MECLENBVRCI
IN CIVITATE SVEDORVM SVEDICIS
COMITATVS SVEDICIS SVEDICIS SVEDICIS
SVEDICIS SVEDICIS SVEDICIS
SVEDICIS SVEDICIS SVEDICIS
SVEDICIS SVEDICIS SVEDICIS
IOHANNES THEODORUS SVEDICIS SVEDICIS
SVEDICIS SVEDICIS SVEDICIS

HELMSTADT TYPIS IOH. HELMSTADTII



MAGNIFICE PRORECTOR

ILLVSTRISSIME COMES

DOCTORES ET PROFESSORES

OMNIVM ORDINVM CELEBERRIMI,

FAVTORES AC PRAECEPTORES

HONORATISSIMI,

HOSPITES MVNERVM DIGNITATE ET DOCTRINAE

LAVDIBVS CONSPICVI, ORNATISSIMI,

TVQVE GENERE ET STVDIIS FLORENTISSIMA

LECTISSIMORVM COMMILITONVM

CONCIO.

Illuxit tandem, et fausto illuxit fidere dies
bonorum uotis diu expetitus, quo inter
Serenissimum ANTONIVM VLRI-
CVM, Ducem Brunouicensem ac Lunaebur-
gensis, et Serenissimam ANNAM, CA-
ROLI LEOPOLDI, incliti Ducis Meclen-

A

bur-

burgensis filiam, Russorumque imperatoris
IOANNIS neptem, sanctissimum coniuga-
lis foedus amoris pangitur. Cuius exoptatis-
simi et numquam non memorandi diei sol-
lemnitas quo maior est, eo efficacius nostri
nos officii admonet, ut, pietatis tantis Princi-
pibus debitae memores, inter publica gaudia
ad gratias Deo O. M. rerum omnium mode-
ratori, pro tam felici euentu persoluendas, et
ad uota pro incolumitate nuncupanda, alacri
atque hilari animo confugiamus. Ingratissi-
mus enim mortalium esset, qui in ANTO-
NIO VLRICO et in ANNA diuinitus
concessa nobis munera non grata, non laeta-
bunda mente agnosceret, non summis effer-
ret laudibus. Nam per totum, quam late pa-
tet orbem, uolitans potentissimorum Princi-
pum uirtus, noua et honorum et dignitatis
augmenta spondet: quae firmissima sunt ex-
fultantis laetitiae fundamenta. Subiectarum
terrarum obsequia caelesti quasi rore reficiun-
tur, quando uident connubia suorum Prin-
cipum tanta beari prosperitate, ut largissimos
in se fructus inde redundaturos sperare que-
ant. Excitantur proinde Russi, excitantur
Germani; Guelphi et Obotriti in consortium
gau-

gaudii uocantur, et gentium litteris atque lingu-
guis ad auspiciatissimas ANTONII VLRICI
atque ANNAE nuptias concelebrandas ex-
stimulantur. Num uero, Asia et Europa suis
sedibus excitata, nos taciti federemus, ad
quos ea laetitia propius pertinet? Ego pietate
adductus in rostra prodire academica statui,
ut uel ad futuram aetatem testatum relinque-
rem, Musas Helmaestadienses uenerabundas
intelligere bona, quae indulgentissimorum
clementia Guelphorum in nos deriuantur.
Sollemnem ergo nuptiarum diem faustissimis
prosequamur ominibus, Deum O. M. precan-
tes, ut communem, quae oritur, felicitatem
perennare sinat. At principio statim medio-
crem ingenii uim, et exiguam dicendi co-
piam, quae in oratore alias maximae requi-
runtur, mihi inesse sentio; tantum abest, ut
potentissimis dignam Principibus orationem a
me adferri posse existimem, ut potius sola il-
lorum beneuolentia fretus, confidam, pauca
turis grana, pio animo oblata, ipsos non repro-
baturus, quum hecatombe litare nequeam.
Deinde et Vos, Patres Academiae conscripti,
oro obtestorque, uelitis pro insigni uestra
humanitate audaciam meam aequi bonique

consulere. Quod si dictionis elegantia non placuero; placebo tamen argumenti dignitate. Celebrabo enim maiorum uirtutes, non Guelphorum modo, sed et Obotritorum, tot retro saeculis disseminatas: celebrabo et utriusque sponsi uirtutes, quae, hodie germinantes, Europam et Asiam illustrant, et fouent in sempiternam orbis totius memoriam.

Cuius tantum est ingenii flumen, quis antiquae historiae adeo gnarus, ut facta Ducum Meclenburgensium, quibus enarrandis sinuosa complentur uolumina, breui oratione complecti possit? Meclenburgensium Duces natalium splendore et antiquissimi generis prosapia incliti, cum potentissimis Germaniae Principibus certant, quippe qui ortum suum ducunt ex regibus Obotritorum et Herulorum, illis gentium bellatoribus fortissimis. Magna sunt et paene inaudita, quae belli et pacis tempore HENRICVS LEO; habent enim et Obotriti suos leones; patrauit facinora. Is est HENRICVS LEO, qui, animi fortitudine id nominis consecutus, hostes, patre absente, fines ingressos, fortiter repulit; is est, qui solus, dilapsis commilitonibus, cruentum bellum sustinuit, et Metius Curtius

tius

tius alter, quem Romana historia summis in
caelum extollit laudibus, ALBERTO impe-
ratori in finibus Boiohemiae intrepide restitit.
Quid nomen ALBERTVM, qui ob egre-
gia, quae edidit fortitudinis specimina, rex
Sueciae creatus est? Constantiae porro fama
ADOLPHVS FRIDERICVS, excelsis-
simae ANNAE proauus, maxime inclaruit.
Ferme oppressus ille erat bello per triginta
annos a Danis, Suecis, Gallis, Germanis, gesto:
at uaria tamen certaminis fata in omni fortuna
illum uiderunt firmissimum: cuius firmita-
tis fructus tulit, ut pactione Osnabrugensi,
quum decederet nonnihil, ut sapientes so-
lent, de iure suo, indemnis seruaretur. Ne-
que bellicis tantum laudibus Heroes Meclen-
burgici fuerunt illustrissimi; sed studiis lit-
terarum famam nominis posteris commenda-
runt. nam et litterae Principes decent, utpo-
te quae ex ornatis faciunt ornatissimos; uti
uicissim artes, ad principale solium euectae,
ab hoc lumen accipiunt, magisque exsplen-
descunt. Eminent inter litteratos Principes in
primis IOANNES, qui Parisiis summos in
theologia honores, quod miraculo proxi-
mum est, suscepit, theologus inde cognomi-
natus,

B

natus,

natus, **GEORGIO** Anhaltino, Principi summo, uel ideo praefendus, quod hic demum illius exemplo inuitatus in concionem prodiit. Tanta **IOANNIS** in doctrina laus fuit, ut **IVLIOS**, **CAROLOS MAGNOS**, **CONSTANTINOS** et reliquos imperatorum, litterarum cultu exercitatissimorum, superaret. In eo enim illos anteibat, quod, mentem diuinis humanisque rebus expolendo, numquam a pietatis studio se abstrahi passus est, suis ideo ciuibus semper in deliciis habitus. Cui ignotae sunt, nisi ei, qui in omni historia hospes est, res ab **HENRICO** pacifico prudentissime gestae, qui uerus patriae pater quum existeret, ac litterarum fautor praecipuus, pietate in Deum, a prudentia in administranda republica, a iustitia in puniendis securitatis publicae turbatoribus, a clementia erga suos, et a pacis studio, omnibus est commendatissimus, Academiae Rostochiensis conditor munificentissimus. **HENRICVS** enim, quum, uti memoriae proditum legimus, barbariem cerneret, animum ad diuinum cultum repurgandum, et ad splendorem religioni reconciliandum. nouerat enim princeps sapientissimus,

aca-

academias uti uirtutum et artium, ita pietatis esse seminaria; quibus efflorescentibus et impia barbaries, et barbara impietas, quasi suffocentur; hinc Rostochium profectus, academiam ibi fundauit instaurauitque, laudabile principis institutum nemine improbante. Quid de FRIDERICO, auo, memorem, qui, honestae amantissimus quietis, consilia pacis semper fouit, in eo curam intendens, ut suos redderet beatissimos. Quem memorabilium heroum Meclenburgensium numerum CAROLVS excipit LEOPOLDVS, qui excelso animo maioribus non est minor. Illum insignimus, qui gradu tricesimo sibi cognatam duxit CATHARINAM, matrem sponsae excelsissimae, cuius nuptiis nouam sibi lucem, noua gaudia oriri, uehementer etiam atque etiam laetatur. Contueri adhuc licuit, A. H. uelut in tabula heroes Meclenburgicos, qui uirtute et bellica et ciuili se omnibus aequarunt. Ecqua enim summorum Europae Principum familia est, cui illustrissima domus Meclenburgensis meritorum fama non sit aequiparanda? Meruit itaque, ut potentissimorum quorumque gentibus adfinitate innecteretur. Et innexa est nuper Martio Russo-

rūm generi, a quo sanguinem se traxisse,
non immerito gloriatur ANNA. Et mirum
dictu est, nec sine nutu diuino euenisse cre-
dendum, Heroum hoc par eminentissimum,
ANTONIVM VLRICVM dico, et AN-
NAM, ad eundem progenitorem genus re-
ferre. Referunt enim ad CAROLVM MA-
GNVM, qui Germaniam domuit, qui coro-
nam Caesaream Germanorum primus capiti
imposuit, Francorum gloria. Nolo iam hi-
storiarum monumenta excutere; quandoqui-
dem intelligentibus loquor. At indictum
praeterire nequeo, Russos inde a Rurico fuis-
se hostibus terrorem, amicis perfugium; illos
fregisse, rebus suis nimium confidentes; hos,
belli fortuna laceffitōs et prostratos, erexisse.
Omitto uetera, ad propiora nostris tempori-
bus propero. ALEXIVS, ANNAE pro-
auus gloriosissimus, rerum gestarum gloria
immortalis, sacra et profana in regno suo or-
dinat, primus in regia concedit nostratibus
aedes sacras, ubi Deum colerent, iura condit,
et in codicem redigit, IVSTINIANVS al-
ter. Num maior laus esse potest Principum,
quam si Deo reddunt, quae sunt Dei? quam
si cinibus suis et subiectis tuta omnia praestant,
et

et cuique suum tribuunt? Patriis insistens ue-
stigiis IOANNES, ANNAE auus, pacis
fraternaeque concordiae auctor incompara-
bilis, imperio sua se sponte abdicauit, ut sa-
lus et tranquillitas regnorum inconcussa per-
sisteret: Codro maior, qui uitam profudit,
de se suisque desperans: IOANNES, et se
et suos saluos, et rempublicam praestitit in-
columem. Numquam PETRVS ad eum
gloriae apicem adscendisset, nisi IOANNES
nouarum rerum studiosos hac ratione com-
pescuisset effecissetque, ut fratri essent obse-
quentes. Et PETRVS gentis suae mores
quam scite emolliuit? ipse non solum scien-
tias et artes, quibus imperia conseruantur,
sollicite addidit, longa per cunctam fere
Europam peregrinatione adquisiuit pruden-
tiam, ut nosset, imperium legibus pro subie-
ctorum salute, et armis aduersus hostes,
quemadmodum sit defendendum: denique et
litterarum studia, mercandique artes suis tra-
didit. Sed ad IOANNEM redeo, qui si in-
uiuis adhuc superesset, felicissimum se prae-
dicaret patrem CATHARINAE CARO-
LI LEOPOLDI, iactaret sese auum ANNAE
Meclenburgicae, neptis e CATHARINA
C ama-

amabilissimae, illiusque oriente flore immen-
sum laetaretur. Floret nunc, et pulchre ui-
get uictoriosum Russorum imperium sub
prudentissimo regimine ANNAE, quam
Deus comparem ANNAE Britannae ad lon-
gaeuos usque annos seruet! ANNAE Bri-
tannae comparem dixi. Huius enim nomen
Gallia trepidat; illius formidat Turcia, utrae-
que autem Austriae et sociis felicia adparue-
runt sidera. Quae summa in Russica gente
imperii feminei felicitas merito cum alia-
rum gentium felicitate simili concelebretur.
Celebratur Phyle, uxor Demetrii regis,
filia Antipatri, illius, qui Macedoniam et
Graeciam uiuo mortuoque Alexandro gu-
bernauit. Haec iam tunc puella annis tene-
ris natiua quadam prudentia sic uisa excelle-
re, ut ipse pater consilia ab ea peteret, et au-
diret. Populi uere mater erat, tenuiorum fi-
lias dotibus datis elocabat, adflictos a fortu-
na releuabat, bonos prouehabat. Celebra-
tur aeuo, non animo, inferior Zenobia, Pal-
myrenorum regina, scientiae auida, et histo-
riae ita perita, ut ipsa eam suo stilo in com-
pendium redigeret, usui posterorum. Cele-
brantur Pulcheria, Theodosii iunioris soror,
et

et Isabella, Ferdinandi coniux, Hispaniarum regina, sine qua nil magni in regno, immo nisi ab illa fere, si annalibus sua constat fides, gestum est. Rex maritus, et consilarii, usu edocti peritiam eius et felicitatem in sententiis, quae edicebat, pro oraculis amplexi sunt. Verum non minus celebranda sunt, quae a Russorum imperatricibus gesta legimus: quum nec Augusti magis inter eos uirtutibus claruerint, quam Augustae. De Russis aeque ac de prisco Scytharum populo, quorum Amazones regna olim condiderunt, incertum est, uter apud eos sexus, uirilis, an femineus, fuerit fortior. Magna fuit PETRI Russorum imperatoris CATHARINA, quae et imperatorem PETRUM et Russos prudentia sustentauit, saepiusque a dubia Martis fortuna defendit. Condidit propterea ordinem S. Catharinae, in honorem CATHARINAE dilectissimae PETRVS MAGNVS, ut grati animi memoriam posteritati commendaret. et pro omine tum acceptum est, CATHARINAM a Deo coronis et sceptris gerendis esse destinatam. Successit marito in regno, et, fauente fortuna, sceptrum Russorum tenuit; maior futura, ni breuior fuisset uitae terminus.

CATHARINA et fortior et felicior est ANNA, matertera sponsae, quotidie triumphans. Triumphat nouis indies aduersus hostes uictoriis, prosternit immanes cateruas, et rabiem compescit illorum, qui christianum infestant nomen. Triumphat de animis ciuium subiectorum, quos sibi totos deuinxit. Gliscebant sub regni auspiciis motus intestini: ANNA in concordiam redegit, et uires imperii immensum auxit, et consolidauit. Triumphat denique, qui triumphus est omnium excellentissimus, de se ipsa, dum se efferi non patitur fortuna; quam proinde ex instabili fecit facietque firmissimam. ANNA enim sapientissima, per plures annos regnauit, et regnat felicissime, dum subiectis imperatoria praestit modestia. Quanta illius exstant heroicae uirtutis et prudentiae monimenta? Quanta clementiae tropaea? At quo delabor? dulcis decorum, quorum lumine ANNA, imperatricum Russicarum maxima, orbem implet, memoria oculos animumque adeo perstringit, ut illis contemplandis exsatiari nequeant. Verum ne longinquis terrarum spatiis a nobis remota tantum mirari, et praesentium obliuisci uidear, retraho me, atque ad Guelphos redeo,

redeo, quorum inaudita pariter et penitus diuina, inde a longis retro saeculis gloriae praemia annotata inuenimus. Piissimos augusti **AVGVSTI**, ab aui, manes hodieque ueneramur, cuius tantas dotes deprehendimus, quantas ulla umquam aetas uidit. Verus et uerae religionis defensor et amator sapientiae, iustitia et amore terris praefuit, ut uirtus ipsa sub Principe illo habitare uideretur. **ANTONII VLRICI**, pro aui, Ducis sapientissimi, litteratissimi, quis non laetanti animo recordetur? Florent etiamnum ipsius auspiciis instituti mercatus; florent litterarum studia, illo ipso aemulo atque auctore. Quot prudentiae et solidioris doctrinae reliquit specimina, numquam interitura? quot et qualia ab Apolline expectare fas erat. Patrem filius sequutus est dignissimus **LVDOVICVS RVDOLPHVS**, et e fratre nepos, **FERDINANDVS ALBERTVS**, aui et patris cunctis animi dotibus simillimi; quorum alter pacis, alter belli in primis tempore magni exstiterunt: Quis fratrum illustrissimorum, quibus apud posteros memoriam sibi conseruarunt perennem, in imperium Germanicum, in litteras et populum suum merita numeret, numerum superantia? Quae cum tenui scribendi genere nemo adsequatur, innumerabiles illorum laudes gloriosis gentium

D

fa-

fastis insertam esse, sufficiat. Solium maiorum,
fortitudine et constantia hodie tuetur CA-
ROLVS, Dux atque Dominus noster longe
clementissimus, frater ANTONII VLRICI,
fraterno amore ipsi coniunctissimus, cui diu-
turnum et felix imperium omnes boni exo-
ptant, quum maiorum effigiem, satis expressam
repraesentet. Nam a patre uictorioso belli ac
pacis artibus instructus, defendit ac regit ter-
ras suas uirtute et prudentia. Si qua etiam in-
ter illustres feminas nostro eminet tempore,
CHRISTINA LVDOVICA profecto est, auia,
tot tantisque exornata, quae Principem de-
cent, decoribus, ut Principum probatissimas
longo post se interuallo relinquat. Eminent et
matre non minor filia, ANTONIA AMALIA,
de qua dubites, uirtutibus, an posteris sit fe-
cundior? illud certum est et indubium, ui-
disse nullam aetatem heroibus magis similes,
magisque felices heroinas, quam LVDOVI-
CAM CHRISTINAM et ANTONIAM
AMALIAM. Atqui tot heroum ac heroina-
rum uitas dum ad imitandum sibi proponebat
ANTONIVS VLRICVS, Numine propitio ad
illorum se exempla totus componebat. Osten-
tent alii maiorum imagines, qui propriis desti-
tuti laudibus, ab illis sumunt, quod sibi deest.
ANTONIVS VLRICVS et ANNA aliena
non

non indigent gloria. Propria ipsorum uirtus est, quae illos super ceteros euexit. Propria ipsorum uirtus est, quae longe lateque radios spargit in omnes terrae populos. Quod ut breuiter ea, qua par est, uerecundia demonstrarem, operam daturus, ne nouorum coniugum modestia laedatur, dicendorum ordo postulat. Quanta sunt ornamenta, quibus conspicuus est ex alto demissus **ANTONIVS VLRI-CVS?** Prudentia cum uniuerso sororum choro, in diuino ipsius pectore habitant. Inde certe est, ut sollerter caueat suis, et auertat ab illis, si qua aduersa imminet, et circumspiciat salutaria, atque adeo, non tamen sine nutu diuino, uel ipsi fortunae dominetur. Didicit enim et se moderari, et alios, qui in exempla non maiorum modo, sed, quotquot terra genuit, heroum intuetur: et ne frustra intueatur, de singulis accurate iudicat, indeque sibi sumit, quae in rem sunt. Prudentiam annos supergressam comitatur eximia probitas et morum dulcedo, et comitas suauissima, qua amicos recreat, inimicos demulcet, omnes sibi conciliat: cunctis patet, neminem a se tristem dimittit. Quantus sit fortitudine, et quam intrepidus in periculis, testes sunt, quos non recta ratio, sed ferrum domat: Turcae, inquam, testes sunt, quorum ferociam retudit, quorum turmas prostrauit, fugauit, et ad interuersionem cecidit, quum maximo cum periculo ad urbem

Oczacouiam imperterritus pugnaret, imperatoribus bellicis peritissimis cum admiratione stupentibus, et ANTONII VLRICI uirtutem collaudantibus. Et fortuna ipsi se obsequentem praebuit, qua tam serena Dux incomparabilis usus est, ut qui mortem illi intentabant, cruentam cladem paterentur. Et Dei O. M. praesidio tutum fuisse, nemo est, qui negare audeat: siquidem dies ipsi natalis redierat, quo exorto, conditori uota pro uitae conseruatione et soluit, et nuncupauit. Quanta animi constantia amicos, rebus suis diffidentes, erexit? Quanta magnanimitate altero post anno ad flumina Hypanin et Tyran hostium fregit impetus? quam acriter eorum uim sustinuit atque obstetit, ut Russorum phalanges et munimenta ne perrumperent, tandemque ut cum pudore et damno retro, unde uenerant, cederent. Residet quippe in ANTONIO VLRICO maiorum robur, non pavidam columbam, sed generosum progenerare leonem fuetum. Omnia, ut, quae eloqui nequeo, cogitanda uobis, A. H. relinquam, omnia in heroe nostro summa sunt, quae caelesti adspirante fauore, similem omnino conciliarunt coniugem. ANNA est, formae praestantia cum Gratiis certans; e cuius corpore pulcherrimo pulchrior uenit animi elegantia, auro-rae amoenitatibus commendabilis. In sublimi constituta gradu tanta est modestia ac si mediocri loco esset nata. Ob quam inodera-
tio-

tionis amabilitatem Imperatrici potentissimae tam cara est, ut filiae loco habeat : quae ut certum illa amoris pignus daret, suum ANNAE nomen ipsi indidit, atque uoluit, ut posthac, omisso nomine lustrico, ANNA uocaretur; quasi una esset in duabus. Moderationem egregie ANNA temperat magnanimitate: ex oculis enim micat maiestas, quae intuentes percellit, et uerecundo stupore complet. O quam pari, quam bene ANNA ANTONIO VLRICO iungitur. Vtriusque uirtus supremum attigit in iuuentute florida fastigium, quod celsius eminent, quam ut inuidiae uentis agitari queat. Plaudite Russi, queis spectatoribus interesse datur sollemnitati nuptiali. Laetamini Guelphi et Venedi, et congratulamini nobis cum ANTONIO VLRICO et ANNAE de perpetua amicitia. Franguntur hostes, inuidi pudefacti cedunt, mala euanescent quaeuis. Gratulatur Russia, ouat Germania de sperata hisce ex nuptiis felicitate. Multae gentes principum suorum connubia multis celebrarunt spectaculis, et pompa multiplici: sed non alacriora edidit gens ulla, quam Russi et Guelphi. Russos et Guelphos certatim laetari uidemus, bono omine, fore ut ANTONIVS VLRICVS et ANNA tanto augeantur flore, quanto per Russorum imperium, et per Europae Asiaeque re-

E gna

gna amplissima parentes, qui liberis bene-
natis habentur et sunt felicissimi. Floreant
itaque ac uigeant Principes Russorum et
Guelphorum sacratissimi, augusto ANTO-
NII VLRICI cum ANNA connubio noui-
ter collustrati, in sempiternam orbis me-
moriam, floreant uigeantque fortunatissimi,
nec ulla temporum aetas obliuione tegat il-
lustrissima ANTONII VLRICI atque AN-
NAE ornamenta, in quibus rediuiua reui-
rescit maiorum uirtus numquam intermori-
tura. Noua quotannis capiat augmenta AN-
NAE, Russorum Imperatricis potentissimae,
imperium: aut, si ad culmen potentiae iam
peruenit, persistat in excelso illo gradu ad
mundi usque finem, litteris et armis firmissi-
me stabilitum. Guelphorum magnitudo cre-
scat indies, et indies magis firmetur, neque de-
crementa umquam sentiat. Fruantur dulcissi-
ma quiete et fortuna immota et immouenda
Russi et Guelphi, sempiterna coniuncti ami-
citia. Prodeant ex Heroibus nouiter nu-
ptis, heroes similes, splendidissimis exornati
corporis animique dotibus. Tantos Russia et
Germania ex connubio diuinitus coalito sibi
auguratur fructus! qui, uti demissa ueneratio-
ne uouemus, ut sint certissimi; ita de illis piis-
sime gaudeamus, feliciterque triumphemus.

Forma nuptiarum et per Europam Americamque
3

PROFECTOR ACADEMIAE IVLIAE
ERHARDVS REVVSCHIVS

ELQV. AC FOES. P. P. O.

CIVIBVS ACADEMICIS &

Excellentiſſimas virtutes, quibus egregium Principum par-
terentissimus ANTONIVS VLRICVS, Dux Brun-
uicenis ac Lunenburgensis, atque Caesares Celsitudinis
Principis ANNAE, Dux Meclenburgi, orbem colustrans,
tactis adhuc pietate supereminens, iam vero, postquam Euro-
pa et Asia in carum laudes circumspicit, et nuptis nuptiaro celebra-

PROGRAMMA.

ſunt gratias, ne excedant, quam ne alicuius, in laudibus AN-
TONII VLRICI et ANNAE praevidendis, sollicitum ac ſu-
dis acquirere, posse sperant. Id, quod dicitur, nuptiarum, est,
ANTONIVM VLRICVM et ANNAM omni elogio
esse maiores. Est enim in ANTONIO VLRICO et ſer-
monis ſeruitas, et nuptis et oculorum dignitas, et membrorum
comparatio corporis nuptiarum, et integritas, et ſcientiarum, et
manuſcriptarum, et modestia, et morum gravitas, et, ut
ſerbo dicitur, ſeruitas animi patriciorum in re legum. Di-
gnitas enim magno ſeruitate nuptiarum conſiſtit, et nuptiarum
magnanimitas quippe ſeruitate nuptiarum et nuptiarum, in-
de a maioribus in illis dicitur: quae ipſe nuptis est, qui con-
iuncta cum oris dulcedine et comitate, nuptis et ſer-
uitate, atque in eam adhibet admirationem, ut ANTONI-
VM VLRICVM reſeruitate nuptiarum dicitur, atque AN-
NAE nuptiarum tactis operum. Quid ſeruitate in expeditionem
Turkiam praeſeruitate, et pro Ruſſorum gloria, veluti pro
et ſeruitate, pugnae acerrime. Fortitudinis nuptiarum ſeruitate ad ca-
ſtram OZAROV, quam dicitur ANNAE
elle

PRORECTOR ACADEMIAE IVLIAE
ERHARDVS REVSCHIVS

ELOQV. AC POES. P. P. O.

CIVIBVS ACADEMICIS S.

Excellentissimas uirtutes, quibus egregium Principum par, serenissimus ANTONIVS VLRICVS, Dux Bruno-uicensis ac Lunaeburgensis, atque Caesareae Celsitudinis Princeps ANNA, Dux Meclenburgi, orbem collustrant, tacita adhuc pietate suspeximus. Iam uero, postquam Europa et Asia in earum laudes erumpunt, et nuptias auspicato celebratas congratulantur; piaculum nullo lustrandum sacrificio foret, si diutius sileremus. Concinunt itaque Musae nostrae, magis ut obsequii erga Heros ac Dominos nostros gloria, qua sola adhuc sunt gauisae, ne excidant, quam ut aliorum, in laudibus ANTONII VLRICI et ANNAE praedicandis, sollertiam ac studia aequare posse sperent. Id, quod dicere ualemus, est, ANTONIVM VLRICVM et ANNAM omni elogio esse maiores. Est enim in ANTONIO VLRICO ea sermonis suauitas, ea uultus et oculorum dignitas, ea membrorum totiusque corporis maiestas, ut integritatem, et clementiam, et mansuetudinem, et modestiam, et morum grauitatem, et, ut uerbo dicam, summam animi pulchritudinem inde legas. Dignum enim magno Illius spiritu natura domicilium est metata; magnanimitas quippe Guelphorum propria est et hereditaria, inde a maioribus in illum deriuata: quae ipsa uirtus est, qua, coniuncta cum oris dulcedine et comitate, uniuersa Russia est stupetacta, atque in eam adducta admirationem, uti ANTONIVM VLRICVM reuereretur tamquam deum, atque ANNAE maritum tacita optaret. Quid fit? in expeditionem Turcicam proficiscitur, et pro Russorum gloria, ueluti pro aris et focus, pugnat acerrime. Fortitudinis tropaeum figit ad castrum OZACOVV. OZACOVV, quam ueterum *Axiacen* esse

esse credunt eruditi, castrum et urbs est Sarmatiae Europaeae in Podolia, in ostiis Borysthenis ad Pontum Euxinum sita, Vitoldi Lituani colonia, quam Praecopenses incolunt: unde Tatari frequentibus Russiam Russiaeque uicinas regiones incursionibus, et incendiis, et rapinis, olim et nuper infestant. In cuius cruenta expugnatione, ubi hostes erant confertissimi, ANTONII VL R I C I robur spectabatur, et mens in periculis imperterrita non cum cadauera occisorum remorabantur, quin acrius instaret; non deterrebat equi sessoris nex, non alterius casus, non suorum, qui latus claudebant, uulnera, non mortes. et tunica, qua erat amictus, percussa, globi tamen hostiles impavidum feriebant. Deinde et Turcarum Tatarorumque, Russos intra castra laceffentium, furorem, Ducis munere fungens, tanta constantia iterum iterumque excepit, repressit, reiecit, ut et amici et hostes stuperent, ac uerbis, quibus poterant, honorificentissimis praedicarent. Russia et cultissima et gratissima, quod uotis antea a Deo expetierat, ut ANTONIO VL R I C O ANNA uxor daretur, iam una uoce flagitat instantissime. Pignus enim non habebat sanctius, non augustius, quo ANTONII VL R I C I fidem cohonestaret. Russia ANNAM, e sanguine prognatam suo, et Dantisco euocatam, a teneris inde annis in oculis gessit, optimis, quae in tanta natas fortuna decent, artibus aluit, eduxit, fouit, suspexit diligentissime, atque eo magis suspexit, postquam ANNAM ANNAM, imperatricum Russicarum et sapientissimae et felicissimae, SOPHIA Palaeologa et CATHARINA superiori, caram cordique esse animaduertit. Et quis ANNAM decoribus non uelificaretur, quae amabilitate sua potentior est, quam musica, illa animorum domitrix, quam magnanimis propterea esse addiscendam, Aristoteles sanxit. Atqui et hac ANNAM ualere plurimum, accepimus. Quam dulcis est adloquio, siue cum suis agat, siue cum exterarum gentium ac regum oratoribus, quorum nullus est, quin admiratione abripiatur; plerique etenim ANNAM promte, et expedite, et eleganter, utentem sua cuiusque lingua uident. Quam igneus illi uigor, quam uiuidus micat ex oculis nigrificantibus? Quam decorus est corporis habitus nigro capillo, qui membrorum candorem, cum Pario marmore certantem, facit suauiore

uiorem

uiorem, ut a DEO et natura in ANNAM Gratias Veneresque omnes collatas, iure dices. Merito igitur ANTONIO VL-RICO laetandum est coniuge, qua non aliam neque corpore, neque animo praestantiozem optare potuisset. Merito quin etiam ANNAE laetandum est marito, quem, omnia et coniugis et reipublicae causa suscipientem, nullius omnino rei poeniteat. Quapropter et coniugium excellissimi Paris nemo est, quin optimis ominibus persequatur, Europa et Asia, qua bonarum sunt partium, ad congratulandum effusis. Et Musae quoque nostrae, Guelphis deuotae, se cohibere haud potuerunt, quin caeteruae applaudentium se se immiscerent, ac decenti Heros nostros cultu uenerarentur. Atque e Musarum filiis, praeter ceteros, religionem Principibus nostris indulgentissimis probare gestit iuuenis nobilissimus, magni parentis, eiusque uiris accepti principibus, aemulus, IOANNES THEODORVS RVDOLPHVS CELLARIVS, Helmaestadiensis, qui, quum dicendi sibi partes committi optasset, ANTONIUM VL-RICUM atque ANNAM et maiorum gloria, et sua ipsorum uirtute esse maximos, breui oratione comprobare, et pia uota pro coniugii eorundem perenni prosperitate facere constituit. Ad quam die craftino, hora X, in Iuleo maiori beneuole audiendam,

illusterrimum COMITEM,
PATRES academiae conscriptos,
HOSPITES et FAVTORES uenerandos,
COMMILITONES generis doctrinaeque laude florentissimos,

ea, qua par est, obseruantia et humanitate etiam atque etiam inuito. P. P. Helmaestadi in academia Iulia a. d. ^{XXIII iulii} _{III augusti} A. R. S.
elbcccXXXVIII.

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through. The text is illegible due to fading and bleed-through.]

H. Sax infer. 58, 10 1/2

